

BIBLIOTHECA
FRANCISCANA ASCETICA

MEDII Aevi

EDITA CURIS

PP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

Tomus VII.



AD CLARAS AQUAS, FLORENTIAE

FIRENZE-QUARACCHI

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

1929.

MEDITATIO
PAUPERIS IN SOLITUDINE

AUCTORE ANONYMO SAEC. XIII

EDIDIT

P. FERDINANDUS M. DELORME, O. F. M.



AD CLARAS AQUAS, FLORENTIAE

FIRENZE-QUARACCHI

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

1929.

fontibus ipsius litterariis; tandem conspectus syntheticus aliquam eius ideam exhibebit summarie. Quae omnia nixus sum verbis paucis, calamo tamen sufficienti, tractare, quatenus studiosi fructuosius queant ipsum perlegere. Ceterum, adhibui plerumque notitiam olim a me delineatam sub titulo: *Elévations théologiques sur S. François l'autre ange au signe du Dieu vivant*¹, quam in nonnullis reddidi magis completam.

1. De codicibus *Meditationis*.

Ex variis et praecipuis codicibus **bibliothecae communalis Assisii** documenta franciscana praebentibus duo ad rem spectant praesentem, quos primum a. 1921 et iterum subinde studio attento subieci, quippe quod statim eos summi iudicabam momenti. Numeris ergo **422** et **439** in catalogo respective notantur.

¹ In *Studi francescani, Ricordo del VII Centenario delle Stimate*, Firenze 1924, pag. 5-24.

Codex 439 est membranaceus, **saec. XIV**, mm. 195×140, foliorum 52 binisque exaratus columnis. Fol. 1r, in summa pagina, legitur: *Incipit meditatio pauperis in solitudine. Ego vir videns...* Opus fol. 49b hisce terminatur: *salutifere dulcorabit, ut dicitur 4 Reg. 4 etc. Explicit meditatio pauperis in solitudine.* Immediate sequitur, fol. 49v-52, S. Bonaventurae liber *De regimine conscientiae* seu *De triplici via* vel etiam *Incendium amoris* vocatus¹. Textus per rubricas regulariter est divisus, aliquoties littera capitalis grandior ponitur in sectionum initio. Scriptura, primum subtilis et confusa, a fol. 14 sensim fit minus densa, nitidior, bene legibilis. Correctiones sunt rarissimae. Signabitur littera B.

Codex 422 est item membranaceus et **saec. XIV**, binis scriptus columnis, mm. 150×210, foliorum 128. Operimentis destitutus, detrimentum aliquod inde

¹ Cf. G. Mazzatinti, *Inventari del MSS. delle biblioteche d'Italia*, IV, Forlì 1894, p. 93.

subiit. Ibi *Meditatio* S. Bonaventurae *Breviloquium* subsequitur, quod occupat fol. 1r-60v; in summo fol. 61a statim habes: *Incipit meditatio pauperis in solitudine. Ego vir videns...* Textus continuatur una manu sine interruptione, generatim absque rubrica, divisionibus interim solo spatio vacuo indicatis. Dolendum valde est quod fol. 128, aqua et usura consumptum, ex parte perierit ac in verso partis remanentis amiserit atramentum, quo fit ut tractatus, prius integer, nunc sit mutilus et suus epilogus, circumstantias compositionis enarrans ut videtur ac sermonem faciens de ipso auctore, plene non possit haberi¹. In summitate folii 127v legitur a manu posteriori scriptum: *Veritatis theologie et meditatio pauperis Bonaventure, quasi Meditatio et Breviloquium essent ambo seraphici Doctoris*². Signabitur littera A.

¹ Cf. G. Mazzatinti, l. c., p. 91. ² *Itinerarium mentis in Deum* S. Bonaventurae dicitur etiam aliquando *Speculatio pauperis in deserto*, ut videre est in editionibus; inde quaedam potuit oriri confusio.

Iure credimus dictos codices esse independentes ab invicem. Considerentur enim omissiones seu variantes verbales in utroque, longiores praesertim et quae solent propter homoeoteleuton produci. Has ultimas lector in notis ad textum advertet, ad pag. 25, 59, 74, 106, 110, 120, 195, 202, 246, 252, 261, 276, 320, 329 pro codice A, ad pag. 109, 146, 222, 243, 271 pro codice B. Evidens est quod B non habuit ab A neque A vicissim a B deficientia verba seu commata; nec insuper A recepit epilogum integrum a B, apud quem deest, sed ab alio codice forsitan prototypo. Sunt igitur ipsi paralleli; supplendo quisque lacunas alterius mutuo se complent et ad perfectam constitutionem textus concurrunt.

Observandum autem quod, sicut Sbaralea in *Supplemento ad scriptores trium ordinum*¹, n. 390, et P. Fidelis à Fanna in suis *Collectaneis manu scriptis* B co-

¹ Ed. Romae 1806, pag. 62 b et 63 a; ed. Romae 1908, pag. 66 a.

decretali domini Nicolai papae III nuper edita super regula vere pauperum Christi fratrum Minorum ». Si bulla pro tunc « nuper edita » potuit dici, evidens est quod tractatus eam memorans non multo post tempore scribebatur.

Possumusne longius progredi annum-que compositionis pressius computare? Re quidem vera. Recordetur tantum locus, pag. 46, ubi mentio fit visionis quam habuit certus frater devotus de die et hora impressionis SS. Stigmatum: « Ipsa impressio illorum sacrorum stigmatum non sine sensu immensi doloris et magno eiulato vocis est facta, sicut ipse beatus pater Franciscus cuidam devoto fratri certitudinaliter revelavit ». Porro, dicto fratri, prout patet monumentis historicis¹, nomen erat Matthaeus de Castellione, de custodia Aretii; cumque accessisset ad montem Alvernae a. 1281, mense maio, tunc dignatus est visione S. Francisci,

¹ Cf. *Arch. francisc. hist.*, XII (1919), pag. 347 et 391; *Anal. francisc.*, III, pag. 641-645; V, pag. 389-392, 401-402.

qui sibi tanti miraculi circumstantias revelavit. Addunt autem eadem monumenta quod de hac visione, mandante capitulo generali Argentinae (1282) celebrato, fuit sub forma authentica facta inquisitio Florentiae die 11 oct. 1282.

Quid igitur? Tali stante facto historico, illud auctor *Meditationis* cognovit ex auditu, ut videtur, vel post capitulum vel post processum. Quidquid detur, cum quasi certitudine a. 1282 aut 1283 fuisse scriptis commemoratum concludimus. Nihil amplius determinari potest, deficientibus argumentis.

3. A quo fuit scripta *Meditatio*.

Ex tempore quidem notitiae de qua superius: *Elévations théologiques* etc. sperabam a viris in litteratura aevi medi versatis, et in historia litteraria mysticae speciatim, indicia vel informationes inveniri, quibus nomen auctoris *Meditationis* proponeretur cum aliqua probabilitate,

accipit bravium. Quis ergo iste unus est sic perfecte sequens ut comprehendat, sic singulariter ac feliciter currens ut bravium ipse solus accipiat? Numquid forte ipse Paulus est? Sed audi quid ipse dicit, Philipp. 3, 12-14: *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse; sequor autem, si quo modo comprehendam in quo et^a comprehensus sum*

* *Af. 75da* Christo: *non quod iam * acceperim aut iam perfectus sim, sed ad destinatum persequor bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu.* Haec Paulus. Si ergo Paulus non est, quis ergo iste est? Ego autem alium non credo, alium non intelligo nisi beatum patrem Franciscum, qui, ut dictum est, *decus morum factus Christum crucifixum in perfectissimis virtutibus sequens, dux Minorum constitutus, passionis Christi triumphale bravium tenet*¹.

Sed dices fortasse: quomodo possunt eius vestigia ab homine comprehendi et usque ad perfectum reperiri, qui est *excelsior caelo, profundior inferno, latior mari, longior terra*, ut dicitur Iob 11, 8-9? *Quid enim est homo ut sequi possit*

* *Bf. 9csit* * *regem factorem suum*, ut dicitur Eccle. 2, 12? Sed qui superiora intellexerit, satis, ut extimo, clare^b videre poterit quomodo beatus pater

^a A om. ^b A dare.

¹ Ex hymno pro secundis Vesperis in festo S. Francisci.

Franciscus ita comprehendit perfecte. Nam longitudinem comprehendit summa paupertate, latitudinem^a caritate, sublimitatem et profundum humilitate. Haec est illa triplex dieta quam facere debent qui Aegypti tenebras evadere ac Pharaonis servitutem fugere cupiunt, ut Deo vero valeant in solitudine sacrificare, ut dicitur Exod. 8, 27. **Hi sunt dimensionum funes qui in praeclaris Domino ceciderunt, sicut Cancellarius Parisiensis in sua prosa¹ ait:**

*Ceciderunt in praeclaris
mihi funes, in praeclaris
fratribus Minoribus.*

In his enim^b praeclaris vere *hereditas * Domini*^{Af. 76a} *praecleara facta est*, ut dicitur in Psalmo², quia *Deus in unamquamque gentem posuit rectorem et pars Dei Israel facta est manifesta et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei et oculi Domini sine intermissione inspicientes in viis eorum*, ut dicitur Eccli. 17, 14-16.

^a B *altitudinem.* ^b B om.

¹ Haec invenitur in libro *Cantus varii*, Romae 1902, p. 246sq. et apud U. Chevalier, *Bibl. liturg.* VII, 388. Alia, ut videtur, dicti Cancellarii prosa *In superna civitate* legitur in eodem libro, p. 250sq., necnon in periodico sic nominato *La France franciscaine*, X, p. 203. ² Ps. 15, 6.